

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

*September 11, 1992*

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

---

1. Becket's murderers set out for England

Linguis interim detrahentium toxicatis magis ac magis exacerbatus rex et a prenominatis episcopis instigatus, fere in furorem versus est; sepe et sepius manifeste coram omnibus in aula maledicens omnibus, quos enutrierat, et qui familiaritatis gratia et beneficiorum collatione sibi obnoxii erant, quod ipsum de sacerdote uno non vindicarent, qui se et regnum suum sic turbabat, et suis dignitatibus exauktorizare et exhereditare querebat. Hoc verbum sepe audientes coniuraverunt in mortem huius quatuor: Hugo de Moreville et Renaldus filius Ursi, Willermus de Traci et Ricardus Brito, viri generosi et inter maiores magni, et mox in Angliam profecti sunt. Qui cum per diversos portus applicarent, omnes tamen miraculose eadem die applicuerunt, et eadem fere diei hora ad locum, quem statuerant, convenerunt, ad Salunde, quod a Cantuaria sex miliaribus distat et in die sanctorum Innocentum, postquam tota nocte de scelere perpetrando statuerant, cum suis complicibus Cantuariam venerunt.

## 2. Two Signs of the Zodiac (Third Vatican Mythographer)

Cancri significatio, in quo post Geminos erit sol, in propatulo est; quia sicut id genus animal versis vestigiis retro incedit, ita sol quum ad hoc venerit signum, ultra scandere non volens, inferiora repetit, solstitio in quarto ejus gradu, id est XII calendarum Julianarum die, celebrato. Sequens signum Leonis dicunt ob illius mensis, id est Augusti, ferventissimum tempus, quia ceteris animalibus leo calore praestare dicitur; unde et importabilis irae est. Tunc etiam dies incipiunt, quos a Caniculae violentia tunc maxime, ut putant, vigente, caniculares dicunt, in quibus nec sanguinem minui, nec potionibus propter calorem temporis et motum, ut dicunt, sanguinis licet uti. Unde est: *Sub Cane et ante Canem molestae sunt purgationes.* Deinde sol signum intrat, quod Virgo dicitur, quae et spicam manu tenens pingitur. Sicut enim nullum fructum Virgo reddit, sic terra germinare jam desinit. Et apud multos seges, quae prius surgebat in herba, jam maturescit in spica.

## 3. Theodulf: why he is not writing poetry

Carmina saepe mihi, fratres, pergrata tulistis,  
 Et nunc quae fertis, credite, valde placent.  
 His delector enim, vestri studiumque laboris  
 Conlaudo, et moneo vos potiora sequi.  
 Crescitis in melius, nobis hinc gaudia crescunt,  
 Ut magis atque magis id faciatis, amo.  
 Qui ex facilis pridem poteram depromere versus,  
 Aestuo, nec condo, ut volo, dulce melos.  
 Sunt mihi nunc lacrimis potius deflenda piacula,  
 Carmina quam lyrico nempe boanda pede.  
 Non amor ipse meus Christus mea carmina quaeret,  
 Sed mage commissi grandia lucra gregis.

Pro quo proque meis orare erratibus opto,  
 Carmina ni pangam, crimina nulla gero.  
 Ludite vos pueri, metrica sat lusimus arte,  
 Praemia, quae cupitis, iam mihi parta manent.  
 Discite sic fratres, docti ut possitis haberi,  
 Et fieri socii civibus aethereis.  
 His ita praemissis, festum hoc celebremus ovantes,  
 Aptius edendi carmina tempus erit.  
 Annua sic etiam veneranter festa colamus,  
 Continua ut nobis det sine fine deus.

#### **4. Revision of Barcelona synodal constitutions (1384)**

Cum iuxta nobis creditum ab altitudine officium debeamus circa subditorum  
 commodum intendere animarum, et quantum possumus periculis obuiare ac uicia extirpare  
 non inmerito teneamur, et propterea considerauerimus quod multe constituciones per  
 reuerendos patres dominos quondam episcopos Barchinonenses et eorum uicarios, cum  
 assensu et uoluntate uenerabilis capituli ecclesie Barchinone, promulgatae fuerunt, quarum  
 aliique ualde periculose suis subditis existebant et difficiles ad seruandum propter penarum  
 apposiciones, aliisque etiam earum, licet multum utiles, per subditos minime seruabantur,  
 nonnullae earum per diuersa uolumina dispersa ab hominum memoria erant penitus alienae,  
 ideo, ad laudem et gloriam Jesu Christi et gloriose matris eius et sancte Eulalie  
 Barchinonensis et utilitatem subditorum, eas, de consilio et assensu uenerabilis capituli  
 Barchinone, in unum uolumen, quibusdam ex eis tanquam superfluis resecatis ex toto uel in  
 parte mutatis, multisque detractionibus et mutacionibus factis, prout uidimus expedire, cum  
 aliis quibusdam per nos et ipsum capitulum nouiter promulgatis, fecimus collocari.